



Nf 21  
Nf 21





REGIAE  
FRIDERICIANAE ACADEMIAE  
PRO-RECTOR,  
AVGVSTVS HERMAN-  
NVS FRANCKIVS,

S. S. THEOL. PROF. PVBL. ORD. TEMPLI  
VLRICIANI PASTOR, ET GYMNASII  
HALENSIS SCHOLARCHA,

VNA CVM

PROFESSORIBVS RELIQVIS,  
CIVES ACADEMICOS

AD MEMORIAM

RESVRRECTIONIS  
CHRISTI

PIE RECOLENDAM

OMNES AC SINGVLOS

HVMANISSIME HORTATVR.





**I**lluxit denuo, Ciues,

faustissimus ille Resurrectionis Dominicæ dies, quo Ecclesia Dei festiuis vocibus resonat: ὁ χριστὸς ἀνέστη ἐκ νεκρῶν, *Christus resurrexit a mortuis!* Eum igitur diem dum Vobis

pro more in nostra quoque Academia laudabiliter recepto, sancte obeundum indicimus, non dubitamus in memoriam reuocare Vobis vetustum non minus, quam aureum plane illud Iobi c. XIX, 25. 26. 27. *Ego scio, quod Redemptor meus viuit, ac postremus super puluere staturus est. Cum igitur post cutem meam conciderint hoc vermes, tamen ex carne mea videbo Deum: quem ego videbo mihi; & oculi mei videbunt, nec peregrini. Consummi sunt eius desiderio renes mei in sinu meo.*

Disputarat hactenus vir sanctus contra amicos suos ex hypothesi, quod, quamuis etiam errasse censendus sit, tamen commiserationem potius, quam adeo crudelem censuram ab eis meruerit. Hic vero ex animi sententia agere incipit, ostendens, quod ne quidem ita errauerit, vt imputatum ipsi fuerit ab amicis, siquidem radicem & fundamentum fidei saluum habeat. Qua de re dum confessionem,



fionem, ac spei, quæ in ipso esset, rationem daturus erat, visum est, emphaticum præmittere prologum, & epilogum subnectere non minus momentosum: vtrumque rei, de qua dicere constituerat, admodum notabilis indicem. *Prologus est v. 23. 24. Quis dabit, inquit, ut scribantur sermones mei! quis dabit eos in librum, ut exarentur! stylo nimirum ferreo, & in plumbo, ut in æternum saxo incidantur!* Quibus verbis præoptat sanctus Confessor, ut, quæ dicere volebat, essent veluti monumentum ære perennius, & ad vltimam vsque mundi transmitterentur ætatem. Inde vero colligi potest, confessionem ipsam, quam editurus erat, esse profus admirandam, omniumque sæculorum memoria dignam, ac tum vniuersæ Ecclesiæ, tum singulis eius membris perutilem, ad consolationem illorum sempiternam. Nec in cassum iuisse hoc lobi votum, euentus ipse comprobauit, & hodiernum comprobabat. Nam quod ille suo tempore optauit, hoc Deus perfecit, dum eximiam illam lobi confessionem, in sacro canone consignatam, ad nostra vsque tempora seruaui, & ad mundi vsque consummationem seruaui, multo quidem perennius, quam si lapidibus ac saxo incisa fuisset. *Epilogus vero sequitur v. 28. causam confessionis editæ exponens, in eo sitam, quod amici immerito ipsum persequantur vt impium vel hypocritam, cum tamen (prout hac confessione demonstraui) וְרַב רַבִּי. fundamentum fidei reperiat in ipso.*

Quod ad ipsam confessionem attinet, nunc duo potissimum momenta in ea obseruamus: I. Agnitionem Redemptoris, eiusque i. vt viui (*Noui, quod Redemptor meus viuit,*) 2. vt victoris, deque morte triumphantis, (*& postremus super puluere stabit*); II. Spem eius videndi, i. post



cutem & corpus a vermibus erosa, (cumque post cutem man-  
am conciderint hoc) 2. ex carne sibi olim restituenda, (ta-  
men ex carne mea videbo Deum.) 3. ab ipso Iobo, nec alio,  
(Quem ego videbo mihi; & oculi mei videbunt, nec peregrini  
cuiusquam) 4. secundum calidissimum eius videndi desi-  
derium, (consumti sunt renes mei in sinu meo.) Digna est to-  
ta oratio, quæ ut alias, sic paschalibus maxime feriis, dili-  
genti meditatione pensitetur, atque ad verum cuiusque v-  
sum adplicetur. Sed memores nos limitis illius, intra  
quem coarctandum est programma academicum, conten-  
terimus, prima tantum eius verba considerare, indeque  
ad recolendam digne resurrectionis Domini nostri IESU  
Christi memoriam vos præparare.

Notate igitur, quod non simpliciter dicit Iobus, *scio*,  
sed per pleonasmum, non otiosum illum, sed emphase-  
os plenum, *Ego scio*; velut dicturus esset: Ut nunc res  
meæ te habent, equidem sum hominum miserrimus, dum  
non solum a Deo, quem tamen sincere ac sine fuce colui,  
durissime tractor, id quod cum paterna ipsius benignitate  
vix conciliare novi; sed etiam a vobis, amicis meis, velut  
impious aut hypocrita fuisset, proscindor. At idem *E-  
go*, quem vos pro impietatis si non conuicto, certe admo-  
dum suspecto habetis, *ego*, qui durissima hucusque a Deo  
passus sum, *ego*, inquam, quod vnicum, idque validissi-  
mum & inconcussum, mihi superest solatium, *scio*, quod  
*Redemptor meus vivit*. Nec vanam esse hanc de emphati-  
co Pronominis pleonasmum hariolationem, docet v. 28. ubi  
dicit, *quem EGO videbo mihi*, confirmans per id, quod sta-  
tim subiicit, *& oculi MEI videbunt, non vero peregrini*: in  
quibus verbis non solum est præcedentium epexegetis,  
sed etiam emphatica subiectorum antithesis. Cur enim di-



diceret, non vero peregrini; nisi seipsum non vulgariter, sed magno cum adfectu & pondere orationis, voluisset designare? Is igitur, qui ad extrema redactus erat, cum Apostolo gloriari tamen poterat: *In omnibus afflictionem patimur, sed non angustiamur; hæsumus, sed non prorsus hæremus; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; deiicimur, sed non perimus.* 1 Cor. IV, 7. 8.

Discite hinc, Ciues, quam fallacia sæpe sint hominum, in viis Domini minus expertorum, de carissimis Dei filiis, iudicia. Quis enim credidisset, tam egregiam fidei speique *ὁπίσσω* in eo reledisse viro, quem amici vt impium ac desperatum reiecerant? Discite vero indidem, quam iucundum non modo, sed etiam necessarium sit, vt in cognitione de fide Redemptoris nostri non aliorum stemus iudicio, sed vt ipsi sciamus, in quem crediderimus, ipsique firma teneamus ac solida fundamenta, quæ tentationis tempore inconcussa persistent, nec labare nos vnquam sinant.

Dicit autem, *SCIO*, quod Redemptor meus viuit, innuens firmam fidei suæ *ὁπίσσω*, & certam animi ex Spiritus S. testimonio conuictionem. Quomodo idem Iobus c. X, 13. *Quamuis*, inquit ad Deum, hæc occultaueris in corde tuo, (gratiam ac benignitatem Dei puta) *SCIO* tamen, quod hoc tecum sit. Et David Ps. LVI, 10. *Hoc*, inquit, scio, Deum mihi esse. item Paulus 1 Tim. I, 12. *Scio*, cui crediderim, & persuasus sum, eum potentem esse, vt depositum meum seruet in illum vsque diem. Vbi quidem æquipollent, *Scio* & *persuasus sum*; quemadmodum & Rom. VIII, 38. c. XIV, 14. nisi quod loco vltimo citato ad eo clarius exprimendam fidei parthesiam additur: *in Christo Iesu*. Mens igitur sancti viri hæc est: *Quamuis*, quod ad mundanam hanc vitam, restitutionis spes omnis mihi præcisa sit, (hoc enim



nim non solum in antecedentibus toties totiesque inculcavit, v.g. c. VI, II. c. VII, 6. c. X, 20. seqq. c. XVII, I. II. sqq. sed post hanc ipsam quoque spei suæ professionem denuo repetit c. XXIII, 14. c. XXX, 22. 23.) superest tamen mihi spes certa vitæ longe melioris, eaque in agnitione Redemptoris mei nixa, utpote quem ego vivere non opinor, sed scio, adeoque certus sum, fore, ut me quoque suo tempore ex mortuo vivum faciat. Quomodo Martha de Lazaro fratre suo, Scio, inquit, quod resurrecturus sit in resurrectione, in die novissima, Joh. XI, 24.

Hic igitur contemplamini, quæso, o Ciues, τὴν πληροφοσίαν ac indubitata[m] fidem Iobi in agnoscendo Redemptore suo, eoque viuo, quæ non vacillat, arundinis instar a vento agitata, sed velut rupes firmiter ac immo- te consistit: plane ut in Dominicæ resurrectionis historia, discipuli Christi, abiecta omni titubatione, tandem firmam concepisse leguntur fidem, ut cum parrhesia dicerent: *REVERA Dominus surrexit.* Luc. XXIV, 34. Cumque Vos quidem, si nominis ac muneris vestri mensuram implere in animum inducitis, id præ aliis agatis, agere certe debeatis, ut necessariarum utiliumque rerum scientia, ad quam Vobis lubenter duces comitesque nos præbemus, animum instruatis; hoc igitur ante omnia agite, ut Christum τὸν ἐγγεγραμμένον ἢ ζῶντα, in quo vnice salus vestra continetur, vere sciatis. Quid enim profuturum esset Vobis, si vel omnes omnino scientias animo complexi essetis, illa vero, quæ & præsentis & futuræ vitæ felicitatem vobis adfert, salutari nimirum cognitione Christi, careretis? Eo igitur contendite, ut ex paschali feriarum celebratione hunc fructum reportetis, reportatumque confirmetis, ut πληροφοσίας pleni cum Iobo dicere



dicere queatis, *SCIO*, quod *Redemptor meus uiuit*, & cum Ap-  
postolo, *SCIO*, cui crediderim.

Vt autem de obiecto illo, de cuius scientia Vir fan-  
ctus tantopere gloriatur, pauca dicere pergamus, *Scio*, in-  
quit, quod *Redemptor meus uiuit*. Vbi quidem subiectum ab  
Iobo dicitur *יְהוָה*, quasi *Recuperator & Vindex meus*, qui  
me ex communi hominum sorte miserrimum perditum-  
que, velut peculium, hereditatem & consanguineum  
suum, non tantum ex praesenti afflictione, sed ex omni-  
bus etiam malis atque miseriis, adeoque ex peccato ac mor-  
te, interposito lytro ac pretio sanguinis sui, velut propin-  
quus, ob assumendam hominis naturam, eripiet ac vindica-  
bit. De Christo enim, Dei Filio, hoc dictum eo luben-  
tius interpretamur, quanto euidentius est, vocem illam  
*Goel* hac ratione in primo ac proprio significato suo relin-  
qui. Nam, vt *Gussetius* Comm. L. H. p. 157. post plura  
egregie obseruauit, *Completa & formalis functio Goelis nobis  
in Deo ostenditur sub persona Filii, naturam nostram per natiui-  
tatem induto, seipsum dante ad supplicium mortis, tanquam  
ἀντιδωρεων pro nobis.* Et praesens illis saeculis Dei Filius sub  
*Goelis* titulo non fuit ignoratus, utpote Iacobo Gen.  
XLVIII, 16. dictus *Angelus יְהוָה* s. *redimens me ex omni-ma-  
lo*. Cuius vero notitia Iobum non caruisse, Elihu etiam  
docere nos potest Iob. XXXIII, 23. vocans eum *Angelum  
mediatorem* s. *interpretem*, millenis angelis contradistin-  
ctum.

*Predicatum* vero est, quod *uiuat*, vita nimirum immor-  
tali, quam non solum ipse in se habet, sed etiam credentibus  
in se donat ac efficit. Praclare ad h. l. *Spanhemius* in Hist.  
Iobi c. XIII. n. II. Notior, inquit, res equidem de Deo  
creatore, Eum viuere, quam ut in eam confessionem erum-  
peret



peret lobus tanta cum emphasi, & præmissò voto, vt hæc sua fides commendaretur seræ posteritati. At *vivere* eum *Vindicem*, qui *propinquus* noster, qui futurus ex mortuo vivus, Apoc. I, 18. c. II, 8. qui *surgeret* aut *staret* super pulvere *novissimo die*, qui *auctor* esset lobo *vite immortalis*, etiam post *corrosionem corporis*; qui denique *oculis carnis* videri posset; id demum lobi fiducia & confessione, & scriptione ac commendatione vtriusque dignissimum fuit. Neque enim vt *viuentem* modo eum intueretur, sed vt *viuificantem mortuos*, novissimis diebus, vt *δεξιγὼν ἡ̅ς ζω̅ς*, seu *Principem vite*, Act. III, 15.

Videtur, o Ciues, lobum ex vltima præteritorum sæculorum ætate Vobis præeuntem. Eum igitur vt Vos ducem sequamini, *Christum Redemptorem vestrum* vt *viuum* meditantibus, ac vera fide amplectentes, hoc est, ad quod in præfenti humaniter Vos inuitamus ac cohortamur, acclamantes vobis cum Paulo : **MEMENTOTE IESV CHRISTI EX MORTVIS SVSCITATI!** 2 Tim. II, 8.

P. P. feriis Paschalibus anni

CICIDCCXVII.

Literis Christiani Henckelii, Acad. Typogr.





Ja 3070 ✓

(1)  
Nur für den Lesesaal!

ULB Halle 3  
001 874 462



sb

VD 78

WOM



mt.











REGIAE  
FRIDERICIANAE ACADEMIAE  
PRO-RECTOR,  
AVGVSTVS HERMAN-  
NVS FRANCKIVS,  
S. S. THEOL. PROF. PVBL. ORD. TEMPLI  
VLRICIANI PASTOR, ET GYMNASII  
HALENSIS SCHOLARCHA,

VNA CVM  
PROFESSORIBVS RELIQVIS,  
CIVES ACADEMICOS

AD MEMORIAM  
RESVRRECTIONIS  
CHRISTI

PIE RECOLENDAM  
OMNES AC SINGVLOS  
HVMANISSIME HORTATVR.